



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 166. At illi dixerunt Barabbam. v. 21.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

tum ascendat semper, gravissima infirmitas hæc est, quæ creaturas tuas Domine facit rebelles & similes Lucifero *super astra Dei ascendenti & exaltanti se, ut mala emulatione fieret similis altissimo.* hoc grande malum facit homines oblivisci conditionis suæ, & maiora se ambitiosissime querere. Discipuli vero tui Domine cognoscentes hoc malum, quod est principium apostatandi à te, exercent seiplos vilissimis exercitiis, quantum fert status illorum, & multis præliis pugnant contra spiritum insipientem, inimicum gratiæ tuæ, Pontifices Romani, Cardinales, Episcopi & alii procumbunt in Hospitalibus tuo exemplo ad pedes pauperum, lavant, terunt, reficiunt. neque contenti sunt exercitio esto, quo ipsi seiplos continent infra se, sed studiosissime curant, in vestibus & sermone celare, quidquid alti ambitum sapit, vident etiam se non acceptaturos dignitatem vel prælaturam, nisi obedientia compellantur, ut sic *conterat caput serpentis qui insidiatur calcaneo novissimorum anima sua.* & quod mirabile est comparatione amatorum mundi, quærent occasionem contumeliarum & improperiorum ad extinguendum sensum excellentiæ.

O Domine, quam fortes sunt isti milites tui, qui sensum acutissimum propriæ æstimationis comprimunt! parati contemni & irrideri pro pietate pauci quidem sunt isti constantissimi, quorum laudes annuntiabit Ecclesia sanctorum, quia fecerunt mirabilia magna nimis, & hoc tuo exemplo edocti. Obsecro te Rex virtutum, edocear & ego gratiam talem ut me contemni sinam sine data causa, & nihili æstimari propter nomen S. tuum. Hæc est enim victoria brachii tui, in quo facis potentiam & dispergis superbos ex altitudine cordis sui, non ut pereant, sed ut meliores evadant, quam erant.

§. 166. *At illi dixerunt Barabbam. v. 21.*

O Iudæi, quid petitis? Quid clamatis? considerate oro, quid clametis, cæcitas hæc vestra est imo furor, quid enim aliud hoc est, quàm petere ut occidatur, qui suscitatur mortuos, & dimittatur qui occidit vivos, pereat lux & remaneant tenebræ, auferatur pacificus, relinquatur seductivus: nolumus vitam præoptamus mortem denique ex contemptu ne nomen quidam Christi exprimum, Barabbæ autem nomen, uti dulce & amicum lambuat, hunc petunt liberari: cum hoc libentius volunt pascha suam celebrare quam cum Iesu. Barabbas, etsi pessimus, tolerabilior ipsis est quia ipsos non arguebat, sed similia ipsis faciebat; Christus autem intolerabilis, quia vitia arguebat & dissimiliter ipsis vivebat, hic igitur est clamor ille de quo *Isa 5. Expectavi ut facerent iustitiam, & ecce clamor.* Et Hierem. 12. *facta est mihi hereditas mea, sicut Leo in silva, dedit contra me vocem, sicut enim leo voce & rugitu terret, sic*

ist

isti clamore Dominum ad crucem adegerunt. Ecce quomodo in maligno totus est mundus! omnes mundi amatores cum Iudæis stant in theatro mystico & advocantur ut pro Barabba latrone seditioso, homicida, in summa pro ipsomet vicio, vel pro Christo ipsa virtute, ipsa sapientia, ipsa bonitate ferant suffragium. videte quid agatis. Ah iste amatur, hic reprobatur, contemnitur! Itane verò, mi Iesu solus relinqueris? nemo est qui tui misereatur? qui tuam defendat causam? iustitiam? beneficentiam? bonitatem? virtutem? Nemo sane tunc, Domine, ipse Iudex inclinatus videtur ad tuam partem ex iustitia, & ecce ille pervertitur. ubi estis Advocati? defensores iustitiæ: ubi amici? ubi Lazarus, paucis ante diebus resuscitatus à morte? ubi Nicodemus illuminatus in nocte? ubi discipuli? nemo comparet, nemo loquitur, vel loqui audet pro Christo iusto & innocente. Nimirum Dei nutu hæc agebantur.

Deus meus, Deus meus, ut quid ita filium tuum dilectum dereliquisti? cur Angelum deficiente homine & nolente defendere non mittis è cælo qui eius causam defendat? cur in filium tam tibi dilectum & obedientem in omnibus tam inimitis es? itane pro damnato illum tradis homine qui tibi semper rebellis fuit? & unde hoc homo de te meritus est? aut quidnam prævidisti in eo, ut adeo eum diligas, tam ferventer ames, tam ei fidelis sis? Enimvero thesaurum pretiosissimum & quidquid summum atque præcipuum præstare potuit paternum cor tuum, pro ipso das redimendo; nempe Iesum dilectum filium tuum, verbum cordis tui, quo enuntias nobis intentionem mentis tuæ, per quem declaras nobis amorem tuum quo nos tam paterne ab initio dilexisti & modo diligis. O quomodo non absorbet & liquecere nos facit in momento fervens hic amor tuus, dum attendimus te relinquere filium unicum desolatum in angustiis mortis, ut nos consolari queas & eripere ex angustiis mortis æternæ! O bonitas incomprehensibilis! O amor æternus! fac me amare quod præcipis, Iesum filium tuum, eiusque præcepta sequi inviolabiliter, non autem Barabbam eligere, aut eius sequi vestigia.

§. 167. Dicit illis Pilatus: quid igitur faciam de Iesu, qui dicitur Christus? v. 22.

Cum peterent ita instanter Barabbam, paratum se offert Pilatus ad dimittendum etiam alterum victum, Iesum scilicet Christum, per verba: *quid faciam de Iesu?* sed, o Pilate, tu paulatim magis magisque deseris viam iustitiæ: quia tu es Iudex, & pro hoc sedes in tribunali, & tu incipis ex actoribus facere Iudices! nescis Pilate quid te doceat iustitia & æquitas? Vi-
de